

**De nova infusionis methodo : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / publice defendet Eduard. Adolph. Graefe.**

**Contributors**

Graefe, Eduard Adolph.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Ioannis Friderici Starckii, 1817.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mmsnx58t>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*AL*  
DE  
NOVA  
INFUSIONIS  
METHODO.

---


DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA  
QUAM  
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM  
ORDINIS ET AUCTORITATE  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA, ET CHIRURGIA HONORIBUS  
LEGITIME IMPETRANDIS  
PUBLICE DEFENDET  
*EDUARD. ADOLPH. GRAEFE*  
NATUS IN SAXONIA.  
DIE XVIII. M. OCTOB. A. MDCCCXVII.

---

CUM TABULA AENEA

---

BEROLINI,  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.



DE

NOTA

IN FUSIONIS  
METHODO

DISSERTATIO

IN ANATOMIA MEDICO-CHIRURGICA  
QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM  
ORDINIS ET AUCTORITATE

EDIDIT

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORABILIS

REGIUM UNIVERSITATIS

BEROLINENSIS

EDWARD. ADOLPH. GRÆFFE

HAUD IN SACRARIO

DIE XVII. M. OCTOB. A. MDCCCXII.

CUM PRIVILEGIO

BEROLIN.

ED. ADOLPH. GRÆFFE



M A T R I

CARISSIMAE SUMMA PIETATE

COLENDAE

JOAN. CHRIST. GRAEFE

NATAE ZSCHOERNIGIAE

M A T R I

GARISSIMAE SUBIMA PIETATE

NEQUE MINUS

OVAN. CHRIST. GRAEFFE

NATALIS SECHORNICIAN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PER GRATIAE MENTE

SACRAS ESSE VOLUIT

**F R A T R I**

CARISSIMO PRAECEPTORIQUE

**CAROL. FERD. GRAEFE**

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI MEDICIN. ET CHIRURG. IN UNIVERSITATE LITT. BEROLINENS. PUBLIC. ORDINARIO, REGI BORUSS. A CONSILIIIS INTIMIS, REG. COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARII MEMBRO, EQUIITI ETC,

AUCTOR



HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

SACRAS ESSE VOLUIT

F. R. A. T. R. I.

CARISSIMO RECEPTORIQUE

CAROL. FELD. GRAEFFE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR, PROFESSOR MEDICINAE ET CHIRURGIAE  
IN UNIVERSITATE ALTA BEROLINENSIS, PUBLICO ORDINARIO  
HIC REGI HONORI A CONSILIO INTIMIS, REG. COLLEGIUM  
MEDICO-TECHNICI PRIMUM MEMBRUM, HUIUS HIC

AUCTOR.

---

## *Prooemium.*

**M**ore majorum summos in medicina honores ambientibus impositum est, specimen inaugurale conscribere. Quod et mihi hanc dissertationem componendi ansam praebuit, qui diutinae experientiae expertus, neque in praxi medica, quod studia saepius temporibus remittere coactus sum, satis exercitatus, auctor in arenam me dare, nunquam ausus essem.

Jam curatiore examine infusionis operatio dignissima, neque studiorum meorum primitiis inepta visa est, et quod ea non satis periculis illustrata videtur, et nova hujus operationis methodus fortasse notabilis esse potest. Quibus tamen minime speciem praebere in animo est, quasi novae inventionis honorem mihi arrogem, deque operationis illius usu et physiologico et therapeutico absolutum quoddam judicium proferam,



quod plurima certe pericula, longamque experien-  
tiam postulat. Modo ut cum iis, qui bene in  
medicina versati sunt, nova quaedam communi-  
cem, in votis est. Omnem igitur medicarum dis-  
ciplinarum peritos, ut quae publici juris facio,  
ea benevole et indulgenter accipiant, neque bo-  
nae voluntatis quae me adscribendum impulit,  
immemores, severius de hisce primitiis judicent,  
etiam atque etiam rogo.

Infusio semper fere cum periculis de transfu-  
sione factis conjunctim, exponitur, qua de causa  
quin in hujus operationis historia transfusionis  
etiam mentionem injicerem, non dubitari.

## § I.

*Historia infusionis et transfusionis.*

**H**arum operationum origo exactius erui non potest, saltem ab antiquioribus graecorum romanorumque temporibus videtur esse repetenda. Si poëtis fidem habemus, quorum fictiones nisi aliqua veri suspicio subest, certe prudentioribus medicis, has operationes exercendi occasionem dederunt, duos ex Ovidii metamorphosis locos citare licet, et eos quidem insigniores, quorum unus <sup>1)</sup> quum succi quarundam plantarum com-

---

1) Quod simul ac vidit; stricto Medea recludit  
 Ense senis jugulum: veteremque exire cruorem,  
 Passa, replet succis. Quos postquam combibit Aeson  
 Aut ore acceptos, aut vulnere; barba comaeque  
 Canitie posita nigrum rapuere colorem.  
 Pulsa fugit macies; abeunt pallorque situsque;  
 Adjectoque cavae suppleantur sanguine venae;  
 Membraque luxuriant. Aeson miratur, et olim  
 Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

Ovid. Metam. Lib. VII. V. 285.



memorentur ad infusionem, alter <sup>1)</sup> quod sanguinis juvenilis mentis fit, ad transfusionem mihi spectare videtur.

Saeculo decimo quinto M. Ficinus <sup>2)</sup> methodum proposuit, qua corpora exhausta restaurari possent, quum praescriberet debilibus, sanguinem venosum e sanis corporibus sugere. Hoc praecceptum multos auctores provocavit, ut Ficinem istarum operationum inventorem esse existimarent, quod vero And. Libavii <sup>3)</sup> testimonio falsum esse demonstratur. Pariter M. Pegelius infusionis rationem memoriae tradidit, cui tamen fides non habenda est, quod magis finxisse quam vera dixisse videtur. Libavius <sup>4)</sup> primus clara

---

1) Intrarant jussae cum Colchide limina natae:  
Ambierantque torum: Quid nunc dubitatis inertes?  
Stringite, ait, gladios: veteremque haurite cruorem;  
Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.  
(In manibus vestris vita est aetasque parentis)  
Si pietas ulla est, nec spes agitatis inanes;  
Officium praestate patri: telisque senectam  
Exigite; et saniem conjecto emittite ferro.

Ovid. Metam. Lib. VII. V. 331.

2) M. Ficinus de vita sana, longa et coelesti. Lib. II. Cap. II. 1489.

3) And. Libavius defens. syntagm. arcanor. chymicor. 1615. Sprengels Geschichte Bd. 4. S. 46.

4) Scheel Transfusion Bd. I. S. 11. Kopenh. 1803.



vestigia posuit quae Collius <sup>1)</sup> ingressus est, tandem celeberrimi Harvei nova de sanguinis circuitu theoria tradita, frequentius hanc operationem instituebant medici.

Quidam a Wahrendorff <sup>2)</sup> primus extitit, qui in canum venas infusiones ex vino fecit, quae anno MDCL Christ. Wrenio <sup>3)</sup> Oxfordensi in demonstrationibus physiologicis in usu fuerunt; hunc B. Boyleius, Wilkins, Clarkius et Hencho-vius secuti sunt. Apparatus Wrenio usitatus fistula fuit argentea vesica adligata.

Semper autem ad infusiones animalia tantum adhibita sunt, donec Colladonius <sup>4)</sup> primus in hominibus id periculum fecit, quo physiologiam amplificaret.

Transfusionis inventionem celeberrimus Clarkius <sup>5)</sup> sibi vindicat, qui fistula usus curvata tam funesto exitu operationem instituit ut de pluribus periculis desisteret.

Tum Societas philosophica Londinensis pluri-

1) Colle method. parand. tuta et nova medicament. Venet. 1628.

2) Ettmueller de chirurgia infus. p. 480.

3) Philosoph. transact. Nr. 7. p. 35.

4) Scheel l. c. p. 38.

5) Philosoph. transact. Nr. 35.



bus doctoribus mandavit ut pericula Clarkii reiterarent, quae pari modi male processerunt. Felicior omnibus Lowerius <sup>1)</sup> evasit, qui sanguinem ex arteria carotide unius animalis in alterius venam jugularem transfudit, fistulis duabus usus, arteria carotide e bove excisa conjunctis, qua operatione feliciter peracta, celeberrimus Kingius <sup>2)</sup> eadem pericula fecit.

Bourdelot etiam in Franco-Gallia transfusionem immitatus est; R. de Gabets duabus fistulis usus est, quas tertia conjunxit. Majori studio Denysius <sup>3)</sup> transfusiones primo in animalibus, postea autem in homine architecturae apoplecticae, vehementiore febre affecto tam bono successu instituit, ut plures etiam adhiberet, in quibus semper duabus fistulis argenteis utebatur. Jam quum istae celeberrimi Denysii operationes semper exoptatum eventum habuissent, societas literarum Parisiensis eodem viro auspice, denuo pericula facere jussit <sup>4)</sup> quae vero quum male processerint, postea neglecta sunt.

---

1) Lower de corde. Amstel. 1669.

2) Scheel l. c. §. 21 — 30.

3) Lassis discours historiques sur les decouvertes en anatomie. Paris 1783.

4) Essays de physisque T. 4. Paris 1688.



In Germania J. D. Major <sup>1)</sup>, Franco-Gallus se infusionis, jam in Anglia et Franco-Gallia cognitae, inventorem venditavit, quam medicamentis resolventibus in homine quodam, et postea in animalibus praecipue fecit. Hunc Elcholzius secutus est, qui infusionem tanquam remedium in morbis cordis laudavit, atque in hominibus et animalibus fecit.

Gedani celeberrimus Fabricius <sup>2)</sup> cum compluribus medicis infusionem in morbis syphiliticis et epilepticis adhibuit, maxima quidem utilitate. Transfusionem quidam Balth. Kaufmannus in morbis leprosis et scorbuticis pari diligentia exercuit, quum sanguinem ex agni carotide in aegri venam medianam transfunderet. Neque minus Purmannus <sup>3)</sup> scabiosos atque epilepticos transfusione curavit, et infusionem ex aqua cardui benedicti in se ipso febris quotidiana affecto, fecit.

In Italia anno MDCXXC Sarpus et Follius harum operationum inventores processerunt et

---

1) Scheel l. c. § 60. p. 206.

2) Philosoph. transact. Nr. 39.

3) Purmann chirurgia curiosa.

— chirurgische Bemerkungen p. 248.



Carolus Fracassatus <sup>1)</sup> eas nitro et medicamentis resolventibus instituit.

Romae Magnanius et Cassinus, secundum Denysii methodum, transfusionem in animalibus, et Riva <sup>2)</sup> in hominibus exercuerunt. Manfredius <sup>3)</sup> etiam in iisdem rebus studium suum collocavit, sed nova operationis methodo usus est, quum incisione per cutem facta, duas fistulas argenteas adhiberet.

Quum vero pericula in hominibus facta minus prospere succesissent, liber contra transfusionem scriptus <sup>4)</sup>, in lucem prodiit, quo papa persuasus transfusionem plane interdixit. Quae de causa, quum infusionem tantum exercerent medici, nihil omnino in hisce rebus profectum est.

Eodem tempore celeberrimus Reigner de Graaf, nec minus A. de Heyde, Friendius et Franciscus Petitius ut physiologiam et pathologiam amplificarent, infusionem in animalibus

---

1) Malpighi de polypo cordis, in ejus operib. T. II. 1687.

2) Scheel l. c. Bd. 2. § 89.

3) Manfredi de nova et inaudita medico-chirurgica operatione etc. Romae 1668.

4) B. Santinelli confusio transfusionum. Romae 1668.



exercuerunt, transfusionem celeberrimi Haarwoodius et Darvinus <sup>1)</sup> in hominibus asphyxia et haemorrhagia affectis adhibuere. Deidierius infusionem tempore pestilentiae quae Massiliae grassabatur in animalibus fecit <sup>2)</sup>, Chapellius (de la Chapelle) complures transfusionis methodos descripsit. Bichatius et Portalius <sup>3)</sup> hanc operationem perfectiore methodo exercuerunt; Pinellius neque minus Rosa primi venena infuderunt.

Complures medici in iisdem rebus studium posuerunt sed praeter celeberrimum Todium et Viborgium, quorum unus transfusionem in asphyxia et alter infusionem in blennorrhoea equorum (Rotz) instituit, nihil notabile quod ad medicinae amplificationem pertineret memoriae tradiderunt.

Apud Germanos praecipue Hallero <sup>4)</sup>, Khonio <sup>5)</sup>, Junkero <sup>6)</sup> Loesekio, Heistero <sup>7)</sup> Blumen-

---

1) Darvin Zoonomia. V. 1. S. 32. Lond. 1796.

2) Haller Physiologia T. II. pag. 75.

3) Mémoires sur plusieurs maladies. Paris.

4) Haller l. c. T. II. pag. 79. T. III. p. 226.

5) Act. Nat. C. Dec. III.

6) Junker conspectus chirurgiae.

7) Heister institut. chirurg. C. 14.



bachio <sup>1)</sup> et Scheelio <sup>2)</sup> optimo jure laus tribuenda est, quod duas illas operationes in hominum morbis, exempli gratia: in lepra, in scabie, in arthritide, in scorbuto, in lue venerea, in haemorrhagiis, in epilepsia, in asphyxia rel. adhibuerunt.

Celeberrimus Hufelandius hanc operationem in asphyxia, in melancholia et in apoplexia probavit multaque accuratius facta pericula collegit <sup>3)</sup>.

De transfusionis usu Eduardus Hufelandus medicinae Doctor egregio disputavit <sup>4)</sup>.

Habes infusionis atque transfusionis historiae conspectum, quo originem earum et progressus exactius dijudicare licet, easque a medicis non satis adhibitae esse, clare perspicitur. —

## § II.

### *Infusionis expositio.*

Infusio operatio est qua medicamenta in venas injiciuntur, sin minus per os inferri possunt et morbus citum auxilium postulat; quo pertinent:

1) Blumenbach, introd. ad histor. medic. pag. 299.

2) Scheel Transfusion des Blutes 2 Bd. Kopenh. 1803.

3) Hufeland, Journal Bd. 8. St. 1. p. 141. Bd. 16. St. 4. pag. 127. Bd. 11. St. 4. pag. 190.

4) Ed. Hufeland Dissert. de transfusione. Berol. 1815.



spasmus cynicus, tetanus, asphyxia, et secundum Hufelandio sententiam convulsiones, compluresque morbi in historia infusionis citati; pari modo quando corpora aliena in oesophago haerent, quae neque tolli neque detrudi possunt, ubi oesophagotomia omnibus modis evitari debet, infusiones tartari emetici in aqua soluti maximo cum fructu instituendae sunt. Quo in casu Carolus Graefe Dr. frater meus formulam praescribere solet hanc:

℞. Tartari emetici grana tria  
 solve in aquae destillatae uncia una  
 adde

Mucilaginis gummi arabici unciam dimidiam

M. D. S.

Mixtio tepide injicienda.

Multa quae huc pertinent felicissimis auspiciis facta pericula, perillustris Hufelandius <sup>1)</sup> et praecipue Scheelius <sup>2)</sup> collegerunt.

Quoniam vero factis periculis in hominum aegritudinibus non satis exploratus est infusionis usus, majore etiam exemplorum numero opus

---

1) Hufeland l. c. Bd. 8. St. 1. Bd. 11. St. 4. Bd. 16. St. 4.

2) Scheel l. c. Bd. 2.



est, priusquam haec operatio tanquam medicamentum adhiberi possit. Praecipue et quantitas et qualitas injiciendae materiae constituenda est, quod systema sanguineum certo vehementissime et peculiari quodam modo incitatur aliena scilicet materia sanguini ipsi admixta.

In Universitatis Berolinensis instituto clinico-chirurgico data occasione tartari emetici grana octo in aquae unciis quatuor soluta in venam aegroti cujusdem injecta sunt, graviore statu apoplectico fere oppresso, quum caetera quae adhiberi solent remedia nullum plane auxilium tulissent.

Camphorae etiam eodem in instituto factum periculum est quod prospere successit. Formula a fratre praescribitur haec:

℞. Camphorae grana sex vel decem

Aquae destillatae unciam unam

Mucilaginis gummi arabici unciam dimidiam,

M. Fiat Emulsio quae tepida injiciatur.

Usque ad nostram aetatem praeter tartarum emeticum, crocum metallorum, moschum, opium, aquam cardui benedicti, jalappam, guajacum, infusum sennae, decoctum chinae, nulla medicamenta ad infusiones in hominibus institutas adhibita sunt, certe sperandum est fore ut stabilitis indi-



cationibus, alia etiam in usum trahantur, quae praecique in morbis ab alienata sanguinis mictione oriundis salutare effectus promittant.

Major <sup>1)</sup> cui miasma ut causa coagulationis sanguinis imposuit hoc infusione tollendum esse, existimavit, in qua, praeterea in febribus exanthematicis malignis, neque minus in omnibus morbis contagiosis, et a causa plethorica ortis, frustratis omnibus remediis ultimum auxilium quaerendum esse contendit.

Regnaudotus <sup>2)</sup> experientia sua nisus, materias alienas vasis infusas sanguinis systema irritare, plerasque alvi relaxationem efficere, medicamina purgantia vero vomitum excitare existimavit, caeterum infusionem in morbis citius auxilium requirentibus, nec minus in iis qui magnam debilitatem gignunt adhibendum esse arbitratus est.

Th. Bartholinus <sup>3)</sup> infusionem modo sub eo casu, quo hominum vires non graviter debilitatae sunt, adhibendam, caeteris omnibus, quod

1) Major prodromus eventae a se chirurgiae infusoriae. Hamb. 1664.

2) Regnaudot de chirurg. infus. renovanda. pag. 158. Lugd. Batav. 1778.

3) Theod. Bartholinus chirurg. infus. pag. 196. 1665.



sanguinis effluxus fieret negligendam esse putavit; haec opinio veri simile e veteri operationis methodo orta est.

Severius de infusione Metzgerus <sup>1)</sup> judicat, qui ipsam maxime ancipitem nullisque argumentis firmatam habet. Aequiorem de infusione sententiam Rougemontius <sup>2)</sup> fert, nec minus Arnemannus <sup>3)</sup> et Nicolaus <sup>4)</sup>.

### § III.

#### *Infusionis operatio.*

Quamvis permulta jam inde ab Harvei temporibus usque ad nostram aetatem, de infusione pericula facta sint, nemo tamen ipsam operationis methodum meliorem fecit.

Wrenius <sup>5)</sup> incisione per cutem facta, ipsum vas vulnere penetravit, postea e fistula conoidea,

1) Metzger Skitze einer pragmatischen Literargeschichte der Medicin. § 268. Königsb. 1792.

2) Rougement Handbuch der chirurgischen Operationen. Francf. 1793.

3) Arnemann System der Chirurgie, 1 Thl. 2te Abtheilung. Gött. 1799.

4) Nicolai Recepte und Kurarten Th. 4. pag. 44. Jenæ 1792.

5) Philosoph. transact. Nr. 7.



cui vesica adligata erat, medicamenta immisit. Posteriores siphunculo usi sunt, Major <sup>1)</sup> postquam vino brachium perfricuerat, venam scalpro insecuit, postea apparatu citato usus est.

Blumenbachius <sup>2)</sup> loco vesicae ampullam resinae elasticae fistulae adligavit, Scheelius <sup>3)</sup> primus apparatus meliorem descripsit: Siphonem nimirum adhibuit stanneum vel argenteum, ad duas uncias capacem, duobus annulis, quibus digiti inferantur, instructum, fistula resina elastica confecta, argentea terminatur, quam specillo vulneri antea facto, infert. Quibus peractis medicamentum gradatim infundit.

Quibus tamen omnibus methodis neque commodius infusio conficitur, et ipsae detrimentum afferunt, quod et nimia e vulnere maximo sanguinis copia, qua corpus debilitatur prorumpit, et cruore partes circumdante, venae hiatus difficilius detegi potest. Ceterum graviores dolores oriuntur, et ipsa aëris atmosphaerici irruptio haud negligendas molestias affert.

Quibus perpensis frater meus novam infusio-

---

1) Major prodromus inventae a se chirurgiae infusoriae. Holst. 1664.

2) Blumenbach introd. ad histor. medic. literar. p. 299.

3) Scheel l. c. Bd. 2. pag. 239.



nis methodum excogitavit, qua omnia ista incommoda optime evitantur. Ferramenta nimirum quibus utitur haec sunt:

1) Acus mucronata, (Troakar) compressa, superficie utrimque non multum convexa, longitudine pollicaris, latitudine ad lineam dimidiam extensa, marginibus parallelis, ita curvata, ut arcus curvaturae pars circuli sit radio octo fere linearum contacti. (Fig. 1.) Mucro (Fig. 1. b.) basi ad tres lineae quadrantes extensa latitudine et crassitudine acum non multum exsuperat, longitudinè lineae cum dimidia adaequatur, marginibus acutissimis utrinque in apicem coëuntibus. Acus ad modum acus triquetrae vagina (Fig. 1. a.) includitur, eodem modo compressa, non multum latiore, curvata, ita tamen ut ipse quam descripsi mucro vaginae laminis non contegatur, sed liber appareat, extremis vaginae marginibus transversis extremam acus partem, quae ad basin mucronis est, stricte circumdantibus. Ne tamen, latiore mucronis basi impedimentum exoriatur, quo minus extrahi possit acus, vaginae margines utrinque diffissae (Fig. 1. e.) sunt, ita ut duae velut laminae efformentur, ad basin duobus epitoniis, quem ad finem vaginae margines utrinque rectis angulis, postea curvati deflectunt, ita ut quaedam  
quasi



quasi pars transversa fiat, quod exactius tabula demonstratur (Fig. 3. a.)

Acus ipsa capulo (Fig. n. d.) imposita est vel eburneo vel ligneo, sesqui digitali crassitudinis fere lineae cum dimidia. Toti ferramento nomen Phlebotomi est.

2) Siphunculus argenteus ad unciam cum dimidia capax, fistula brevior, compressa, accuratissime vaginae, cui inserenda est, curvaturae accommodata.

3) Specillum plumbeum, obtusum crassitudinis vaginae eadem plane structura qua acus ipsa.

### *Operatio.*

#### *1) Incisio per cutem.*

A. Venae repletionem, uti in venaesectione solet per fasciam effecta, cutis ad aliquot lineas ad longitudinem venae ita inciditur ut plaga media inter conspicuas venae margines appareat.

B. Quod quum minoribus in venis necessarium, in majoribus omittendum est, ubi cutis una cum venae membranis perforatur.

#### *2) Venae per phlebotomum perforatio.*

A. Omnibus rite, uti praeceptum est institutis, medicus qui ad externum brachii latus constitit,



ideoque vel dextra vel sinistra manu utitur. intensa fortiter cute mucronem rectangulo venae imponit, ita ut capulus ad venae longitudinem directus, (vid. Fig. 6. b.) superiora versus declinatus teneatur.

B. Quo facto mucronem venae usque ad axin (vid. Fig. 6. a.) immittit, tum capulum deorsum (vid. Fig. 6. c.) movet, acum haud amplius intromittens, sed solum mucronem exactissime ad venae axin dirigens, ita ut cum marginibus ipsius parallelus evadat (vid. Fig. 6. d.). Longitudo ad quam ferramentum intromitti debet accuratius constitui non potest, quod vena modo minor, modo major est, modo tenioribus, modo crassioribus integumentis contegitur. Ista commodissime in venae capacitatem penetrat, nec ipsa interna venae superficies violatur.

C. Quo peracto, vagina pollice et digito tertio retenta, acus statim extrahitur, apertura vaginae ne sanguis, qui ictum feliciter in venae capacitatem penetrasse significat effundatur, indice clausa tenetur.

### 3) *Injectio medicaminis.*

Jam siphunculus medicamine repletus admoveatur, cujus fistula vaginae inserta, id ipsum lentius injicitur. Quando injectiones reiterandae

sunt, neque vulnus ea causa coire debet; specillum plumbeum (vid. Fig. 5.) infertur, conveniente deligatione retinendum.

Ipsam denique vulnus facta ad idoneum tempus contractione praeceptis generalibus sanatur. —

Fig. 1. *Acus mucronata cum vagina, a latere*  
 a. Mucro e vagina prominens. —  
 b. Basis vaginae.  
 c. Capulus ferramenti.  
 d. Margis lateralis vaginae fissura.

Fig. 2. *Idem ferramentum ab altera parte*  
 a. Mucro.  
 b. Basis vaginae.  
 c. Capulus ferramenti.

Fig. 3. *Vagina ab acie deprehensa.*  
 a. Pars vaginae posita, eponitis in-

Fig. 4. *Siphunculus.*  
 a. Terebra curva, vagina inserta.

Fig. 5. *Specillum plumbeum.*  
 a. Venae axis.  
 b. Venae canalis.

Fig. 6. *Directio ferramenti, qua imponendum*  
 est.  
 a. Directio ferramenti ad partem vechiam;  
 b. Directio ferramenti ad partem novam.  
 c. Directio ferramenti ad partem novam, ad axilem



## EXPLICATIO TABULAE.

Fig. 1. Acus mucronata cum vagina, a latere  
 conspecta.

*a.* Vagina qua acus inclusa est.

*b.* Mucro e vagina prominens.

*c.* Basis vaginae.

*d.* Capulus ferramenti.

*e.* Margo lateralis vaginae fissus.

Fig. 2. Idem ferramentum ab antica parte  
 conspectum.

*a.* Mucro.

Fig. 3. Vagina ab acu deprompta.

*a.* Pars vaginae postica, epitoniis in-  
 structa.

Fig. 4. Siphunculus.

*a.* Fistula curva, vaginae inserenda.

Fig. 5. Specillum plumbeum.

Fig. 6. Venae canalis.

*a.* Venae axis.

*b.* Directio ferramenti, qua imponendum  
 est.

*c.* Directio ferramenti ad quam declinan-  
 dum est.

*d.* Mucro venae capacitati illatus, ad axin  
 venae directus.

---

**THESES DEFENDENDAE.**

**I.**

*Ustio in nonnullis morbis non negligenda.*

**II.**

*Chirurgus perfectus, medicus quoque perfectus sit, necesse est.*

**III.**

*Vomitoria non solum evacuatione, sed etiam effectu in nervos agunt.*

**IV.**

*Rinoplastica Italica saepe Indicae praeferenda est.*



---

CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
BEROLINENSIS  
A D I E C T U M.

**E**go Eduardus Adolphus Graefe, d. x. m. Maji a. d. MDCCXCIV in Saxonia natus, patre optimo Carolo Theophilo Graefe usus sum, illustrissimi Comitis Moszinsky, supremi Regni Poloniae Mareschalki a Ministri Wobolnicensis, Lipnicensis, Capitaneo etc. etc. fundorum privatorumque negotiorum procuratore, qui adhuc puero acerbo morte mihi ereptus est; matrem Christianam Zschoernigiam habui.

Quum parentes in Russiam transmigrassent, puero mihi praeceptores fuerunt Hermannus de Meyer, Carolus Krüger et Leo. Annos natus quindecim jam in Germaniam me contuli, ubi celeberrimum gymnasium quod Halae floret, fre-



quentavi Anno MDCCCXI Berolinum profectus in numerum civium Gymnasii Berolinensis receptus sum.

Tempore vero quo omnes juvenes ad defendendam patriam properabant, medici militaris munere fungens, cum exercitu Regis Borussiae in Galliam profectus sum.

Berolinum redux, almae Universitatis civibus Rectore magnifico Solgero ascriptus sum. Scholarum quidem et exercitationum rationem habui hanc:

In osteologia et syndesmologia ill. Knapius mihi praeceptor fuit; in physice, chemia et pharmacologia celeb. Turtio et ill. Hermbstaedti ducibus usus sum, logicae praeceptore celeb. Solgero studui, nec minus anatomiae et humanae et pathologicae, encyclopaediae medicinali duce ill. Rudolphio operam dedi. Ceterum celeb. Haynii botanicae, celeb. Osannii materiam medicam et physiologiam generalem, ill. Hornii pathologiam et doctrinam de morbis syphiliticis, celeb. Linkii historiam medicinae ill. a Siebold de arte obstetricia scholas frequentavi. In therapia morborum longorum nervorumque affectuum, nec non in semiotice duce ill. Berends studium collocavi, unius etiam exercitationibus clinicis interfui. In therapia generali celeb. Fr. Hufelandius,



in therapia morborum acutorum perill. Chr. W. Hufelandius, in acologia celeb. Bernsteinus, in chirurgia et generali et speciali, neque minus in akiurgia et ophthalmiatrice Graefius, cuius etiam exercitationibus clinico-chirurgicis interfui, praeceptores fuerunt.

Jam tentamine et examine rigoroso rite peracto, spero fore, ut hodierno die Doctoris Medicinae et Chirurgiae honores adipiscar.

# E r r a t a.

---

## *Errata.*

Pag. 5. lin. 4. instutuebant  
— 10. — 10. Hufelandus  
— 10. — 11. egregio  
— 13. — 2. praecique

## *Emendata.*

lege instituebant  
— Hufelandus  
— egregie  
— praecipue

---



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

INDEX

- 17 — 1. Introduction
- 18 — 2. The first part
- 19 — 3. The second part
- 20 — 4. The third part
- 21 — 5. The fourth part
- 22 — 6. The fifth part
- 23 — 7. The sixth part
- 24 — 8. The seventh part
- 25 — 9. The eighth part
- 26 — 10. The ninth part
- 27 — 11. The tenth part
- 28 — 12. The eleventh part
- 29 — 13. The twelfth part
- 30 — 14. The thirteenth part
- 31 — 15. The fourteenth part
- 32 — 16. The fifteenth part
- 33 — 17. The sixteenth part
- 34 — 18. The seventeenth part
- 35 — 19. The eighteenth part
- 36 — 20. The nineteenth part
- 37 — 21. The twentieth part
- 38 — 22. The twenty-first part
- 39 — 23. The twenty-second part
- 40 — 24. The twenty-third part
- 41 — 25. The twenty-fourth part
- 42 — 26. The twenty-fifth part
- 43 — 27. The twenty-sixth part
- 44 — 28. The twenty-seventh part
- 45 — 29. The twenty-eighth part
- 46 — 30. The twenty-ninth part
- 47 — 31. The thirtieth part
- 48 — 32. The thirty-first part
- 49 — 33. The thirty-second part
- 50 — 34. The thirty-third part
- 51 — 35. The thirty-fourth part
- 52 — 36. The thirty-fifth part
- 53 — 37. The thirty-sixth part
- 54 — 38. The thirty-seventh part
- 55 — 39. The thirty-eighth part
- 56 — 40. The thirty-ninth part
- 57 — 41. The fortieth part
- 58 — 42. The forty-first part
- 59 — 43. The forty-second part
- 60 — 44. The forty-third part
- 61 — 45. The forty-fourth part
- 62 — 46. The forty-fifth part
- 63 — 47. The forty-sixth part
- 64 — 48. The forty-seventh part
- 65 — 49. The forty-eighth part
- 66 — 50. The forty-ninth part
- 67 — 51. The fiftieth part

\_\_\_\_\_



Fig: 2.




Fig: 1.




Fig: 4.




Fig: 3.




Fig: 5.




Fig: 6.



